

# REDITUS IN MONTEM ORTIGARAM

IOSEPH DE MARZI,  
MONTIUM SILENTII PACIS POETAE

«...et perdices albae quasi animae sunt  
nostrorum amicorum, qui evolavere:  
hic manent sub pinis, sub nive,  
et recordationem exspectant, quae illos excitet.»

MARIUS RIGONI STERN

I.

Saxorum crepus utinam sciretis ut horum  
rupesque agnoscam: licet aegris tardior annis,  
excitat occulto monumenta latentia pes, et  
ardua per memores ponit vestigia saltus.

*Incedit longumque ascendit in Ortigaram  
agmen. caeruleae maturam scandere mortem  
adproperant acies: angusto tramite serpunt,  
non secus ac trepidi rursum si fluminis unda  
versa laboraret per ripas volvere spiram  
lucentem acclivas, fontemque rediret in altum.  
sic iter Alpini pergunt animumque canentes  
confirmare simul conantur voce sonora.  
quassa micant passim solis sub lumine tela,  
frigida et hic moritur scintilla, relucet et illic.  
praetereunt iuvenes, nigrarumque ultima nutans  
pinnarum transit. passum iam solvitur echo.*

Solvuntur glacies, liquida iam luce tepescit  
ultima nix redeuntque breves, en, papiliones:  
hic roseis volitat maculatus candidus umbris  
secreto simulans rhododendra rubentia clivo,  
florida et ille levi discurrit pascua pinna,  
multa considens modo in urtica, modo cunctans  
oscula ubi vento levia aster figit amellus  
errantive sonat tacite campanula flatu.  
vitam ver et in haec saxeta refert, tamen at vos...  
at vos, «nonne illum mensem meministis Aprilem? –

*Iam vacuis omnes abituri curribus astant.  
filius est oculis matri qui adridet opacis,  
dum pater haud habilis bello vix continet intus  
urgentes lacrimas: «quare, quare ista iuventa?»  
se excruciat secum meditans, nec verba resolvit.  
parvulus obstipuit genitoris casside torva  
maternumque sinum quaerit; mulcentia maesti  
militis acta parum possunt. his proxima Nina  
suspiriis quassum fulcit timidumque Ioannem,  
strenua (sic visa est) pro ambobus. stringit in uno  
cura Petrum et Mariam complexu crastina mortis:  
haerentes tardant discessum, at «currите» quidam*

5

10

15

20

25

30

35

*latrat «currite, abite! agedum, iam tempus abire!»  
postrema eripiunt iussu momenta neganti,  
nec longe. currus scandunt tandem et stationem  
linquunt. longa simul comites via ferrea portat  
armatos rabidi longinqua ad limina belli.  
ambigua vultus mergit caligine fumus,  
dum vorat insistens tot milia machina passum,  
altus et adventum sitiens manet Ortigara.*

40

– sique sititis ibi, promptis poculis, aderit nix.»

## II.

Quomodo vos memorem, vobis quod carmen, amici,  
dicam? nam cogit commotae absentia vocis  
tristia verba moris retinere frequentibus, ast ut  
vox tacet, en curis impleta silentia acutis  
mox subeunt: atro tum mens maerore prehensa est,  
communi meditans vestras subtemine vitas  
evulsas, et amicitiae consortia nostrae  
tam brevia – o, nimium brevia. huc ad culmina montis  
nunc redditum statui ferre, huc ubi vosque, sodales,  
multaque discissi cordis fragmenta reliqui  
vobiscum unanimis, visum mea si quid habere  
vulnera solamen possint. hanc nonne videtis  
ut laricem resina recens viduam medeatur,  
utque cicatrices veterum occludat novus umor  
pinorum? tenero emergunt de cortice gemmae  
infixis mixtae iaculis in pectore ligni:  
anulus annali condit grave tempore ferrum  
dum sensim trunci crescunt ramique virent, et  
signa tegunt magis atque magis iam oblivious belli.  
ast oblivious, comites, ego quomodo possim?

50

55

60

65

*Montis apex similis capiti est excarnificato:  
Europae stat terribilis Calvaria scissae.  
exspectant signum iuvenes trepidique verentur  
aggeribus. magno crepitant tormenta boatu:  
missilia effundunt ubicunque pluentia mortem  
totaque terra tremit tonitru percussa tremendo.  
exspectant signum iuvenes, ast ecce sacerdos,  
ecce duces (nam qui poterat discernere voces  
utrorumque?) ululant ululantque: «estote parati!».*

70

75

*impetum et egressi faciunt. datur undique signum:  
concurrunt omnes terram per nullius acrem.  
mortiferus ferri alati tunc sibilat imber,  
falx veluti vitas et inexorabilis omnes*

80

*demetit. extemplo recidunt plerique ruentes,  
inveniunt alii subitam per vulnera mortem,  
spinea per clivos aliis dat linea funus.  
exanimes videt ante oculos procumbere terrae  
Matthaeus comites at, dum stupet, ecce granata  
rumpitur immanique cadit necopina fragore.  
sternitur ille solo, mutilus caecusque animam efflat,  
ceu medius nudo campo stat truncus iners, quem  
omnibus exspoliat ramis obscura procella  
evulsisque rapax radicibus impulit Eurus.*

85

90

At tacita nunc vallicula, Matthaei, quiescis:  
pulverem et ossa tenet pax, hic densa sub erice...  
Et tu colloquium meministi, Nine, recisum,  
cum caelo pernox fulgebat luna sereno  
et muri vigiles ad ballistraria eramus?

95

«Anne tibi scripsit?» «mihi scripsit dulcia, Nine,  
verba, sed haec inter tam dulcia miscet amara:  
bella premunt vicum propioraque limina cogunt  
praecipitare fugam; linquenda sibique suisque  
arva domusque, nec ulla datur restare potestas.»

100

«et nunc quo fugiunt?» «fugiunt, sed nescit adhuc quo...  
carpsit heri florem, mihi quem misit: myosotis  
est, ne forte suos, ait, obliviscar ocellos;

mane mihi carpsit linquendi in margine campi...»

«mi quoque heri scripsere mei: istos visere montes  
semper flammantes et longe audire boatus...»

105

«quid de fratre tuo est?» «etiam is conscribitur, et mox  
huc veniet. pueros quoque iam conscribere quaerunt...»  
«quando in nostra, mihi dic, Nine, redibimus arva?  
dicunt aestatem spondere papavera multa:

110

credere quis nostrum potis est? quis, Nine, videbit?»

«non sumus illorum quondam qui bella fovebant  
ista odiis tumidi, solos genitura dolores.

ut folia autumno ventorum turbine capta

ducimur incerti: pallescit vita colore

paulatim amisso — at faciunt nos fata sodales,

et faciunt penitus.»

115

*Respondit talia Ninus,*

*cum tacito lunae radio concussa refulget  
cassis et immemorem prodit modo verba locutum:  
missile secretis ignotum rumpitur umbris,  
diffindit tenebras, artam transitque fenestram;  
purpurei fronte in nuda tunc baca crux  
dissilit...*

120

et numquam tibi, Nine, aurora redivit.

### III.

Forsitan, ut dicunt, bellum tantummodo vobis  
vere finivit. noctis cum devenit umbra  
atque omnes tandem requiescant undique fessi, 125  
omnia praesenti iterantur tempore nobis,  
o comites, quondam iuvenes quae viximus una.  
tum fossam rursum et caenum crepitusque tremendos  
sonnia sollicitis tota vigilantia portant  
nocte superstibus, rara et datur hora quieti; 130  
tum vestri vultus dulcesque novantur, amici,  
voces, tum vestri revocata revivit imago.  
sed gratos etiam risusque iocosque recordant,  
paupera et exigui nostri convivia vini,  
cum omne malum faciebamus commune loquentes, 135  
cumque solebamus duris onerosa levare  
pectora sollicitudinibus: sic verba doloris  
laxabant nodos, sic carmina dissoluebant.  
et nunc, cum pacem mitis complectitur aura  
cumque sacraria apex Alpinus muta coronat, 140  
me, dum per saxa et rupes revirentia tandem  
ingredior, me nunc etiam comitemini, amici.  
aspicite en: illinc, illinc – meministis? – ut olim,

125

130

135

140

145

*evolitant albae perdices Ortigara  
et requiem quaerunt per aperta silentia vallis.*

## ADNOTATIONES

- v. 26: sic incipit Alpinorum cantus *Mons Caninus* (Italice «Non ti ricordi quel mese d'Aprile, / quel lungo treno che andava al confine? /...»).
- vv. 19–24: hi papiliones floresque in Alpinis pascuis inveniuntur, ut legitur in Fernandi Bandini *Papilionibus*.
- v. 23: *Aster amellus* a Vergilio primo in *Georgicis* IV memoratur, unde vulgariter ‘Astro di Virgilio’ flosculus dicitur.
- v. 48: sic explicit *Mons Caninus* (Italice «Se avete sete, la tazza alla mano, / che ci disseta la neve ci sarà»).

Francesco Grotto

Scuola Normale Superiore, Pisa  
[francesco.grotto1@sns.it](mailto:francesco.grotto1@sns.it)